

- 1338 dum proditione recipere : sed hoc quoque parum fœliciter ab eo tentatum . Spinetæ Marchioni & Guidoni Foranenſi res gerenda datur , ut quam cautius poſſent ad locum ducerent . Ea expeditio Venetos non latuit : locatiſque circa Ateſte quingentis Germanis equitibus , hoſtes inexplorato ducentes inſidiis excepti ſunt : ad primum clamorem terrifi , abjectis armis , in fugam vertuntur : non pauci cæſi , ſed multo plures capti in quibus Guido & Gilbertus ejus frater , fuiſſe dicuntur : atque cum his equites ducenti in Venetorum poteſtatem venere . Andreacius Maurocenus , cujus opera in ea expeditione maxime enituit , equeſtri eſt poſtea dignitate donatus . Rolandus Patavii tunc erat : unde citato agmine profeſtus Vincentiam duxit : factoque in urbem impetu , per Fœlicianam portam , & eam quæ Nova dicitur , in ſuburbana tecta erupit . Tum longe majus , quam antea , malum miſeros cives invaſit . Circumſeſſi undique ab hoſtibus , non erat unde annonam amplius ſperarent , ne ex Verona quidem , Venetis Brendolam & Monticulum tenentibus : ejeſti quidam propriis domibus cum conjugibus & liberis , ab equitibus qui præſidio erant , mendicare cgebantur . Tum demum fracta prorsus tyranni ſuperbia , opportune pax ſecuta eſt .
- 1339 Ferunt illum , quum inire non poſſet rationem , qua Vincentiam obſidione levaret , ad pacem inclinaffe : ad quam petendam , miſſis Venetias legatis , his conditionibus impetravit : ut Feltrum , Belunnum , Cenetaque Carolo relinquerentur : Bergomum ac Brixia Vicecomiti , qui eas occupaverat : Tauriſium cum vicis , oppidis , caſtellis , quæ ejus finibus continerentur , Venetorum eſſet : haberentque cum his Caſtellum Baldum & Baſſanum , & quod navigatio Venetis negociatoribus libera per Atheſim pateret : Florentini quatuor Lucenſis agri oppida retinerent . Ferunt iniquo animo illos præſentem pacem tuliffe , quippe qui Lucam urbem ſibi dari poſtulabant . Venerunt eorum legati ad hoc ipſum Venetias , reſque magis tentata ab illis dicitur , quam quod ſpes ejus rei impetrandæ ulla eſſet . Verum inclinantibus ad pacem Venetis , Florentini facile ceſſerunt . Cautum ſociis omnibus ac Regulis , qui ad Venetos defeciſſent : Albertus & capti-